

Zu Königlichem  
Leinwand " Bibliothek  
gehörig.

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

D. T. O. M. A.  
Disputatio Theologica,  
Ostendens  
**LUTHERANOS**  
E T  
**CALVINIANOS**  
IN FUNDAMENTALIBUS  
fidei articulis plerisque non  
consentire:

*Quam*

*In Academia Rostochiensis*

PRÆSIDE

*Reverendo Clariss. & Excellentissimo Viro,*

**IOHANNES TARNOVIO**

SS. Theologiæ D. & Professore,

*Publicè examinandam proponit*

**M. JOHANNES KLEIN**

Soltquellâ—Marchicus.

*o. d. 12. Julij, horis matutinis in Auditorio  
Magno.*

*W? (S)? 26*

**R O S T O C H I**

Excusa literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

**ANNO M. DC. XXIII.**

C. P. O. M. N.

Disputatio Theologica

Offerens

LUTHERANOS

GALVIANOS

IN MUNDA MENTIBUS

id est articulis plempus non

contingit:

In Academia Rostochensi

P. LAURITZ

Reverendo Patri & Facultati Rostochensi

IOHANNES TARNOWIO

SS. Theologiae D. & Professore

Publice examinatus propositi

M. JOHANNES KLEIN

Solothurnensis - Mathematicus

et al. in Rostochensi Academia

publice

1717 (1718)

Rostochi

Exemplum in officina Typographica

anno M. DC. XLVII





## THESIS I.

**Q**uantopere studium pacis meritò cuiq; Christiano commendatum esse debeat, non tantum satis graviter indicat Psaltes, *Quis vir ille, inquit, qui vult vitam, diligit dies, ut videat bonum? Inquire pacem & persequere eam* Psal. 34. v. 13. & 15. Sed etiam in Novo instrumento eadem admonitione graviter instat Apostolus, dum vult, ut, *si fieri possit, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus in pace vivamus*: Rom. 12. 17. nempe hoc signum discipulorum Christi est, quod concordēs sint, Joh. 13. 35. unde pacificos filios Dei vocat Matth. 5. 9. is qui paulo ante obitum ardentē precatur, ut discipuli unum essent, sicut ipse & pater unum Joh. 17, 21.

### II.

Non injuria ergò cordatis mirum videri posset (sicut & nonnullis Demadibus, verentibus terram amittere, dum cælo injuriam fieri prohibeant, id durum videtur) quī fiat, quod, cum Calviniani toties Nostratibus pacem obtulerint, *in colloquio Marpurgensi & Mompelgartensi* dextram fraternitatis petentes, *in Irenicis, Admonitionibus, Apologijs. &c.* Per caduceatotes Junium, Personatum Benbellonam, Doctores Palatinos nomen Ecclesiarum præferentes, Embdenses, Pareum, Stenium, Crocios, alios armorum suspensionem flagitantes, Theologi tamen nostri usq; adhuc petitioni ipsorum nullum locum concesserint, aut positis odijs in amabile pacis pactum mutuò consenserint.

### III.

Verum enim vero satis ipsos vel proprio sanguine redempturos, si sanguine redimi posset, Pacem Ecclesiasticam, defendit Particula Limitativa à Paulo addita, *Si fieri potest, quantum in vobis*

est, quæ si in quavis etiam politica pace observanda venit, quanto magis in actionibus religiosis teneri & servari debet, ubi & omnium priorum exemplum incitat, ut perfecto odio odisse reperiantur, qui te tuamq; gloriam oderunt Domine, & injunctum officium stimulat, ut vigiles lupum arceant, & Dei præceptum requirit, ut vestem ex lino & lana contextam ne gestent. Lev. 19. 19. Deut. 22. 9. Id est, Si Calvino & Pellicano credunt, doctrinam falsam veræ non misceant.

IV.

Hoc namq; agunt scriptionibus istis, quibus non Politicam pacem expetunt, quam Theologorum dare non est, sed pacem religiosam ambiunt, ut ipsorum errores nostratum calculo approbentur, proq; Fratibus in Christo agnoscantur. Id cum se obtinere non posse animadvertant, si dissensum in Fundamentalibus Christianæ religionis articulis fateantur, hinc nostram confessionem tanquam sanam & orthodoxam laudant, quod si secundum nostram cognitionem vivamus, salvemur *Palat. Treubersige Beremahnung pag. 25.* seq; in omnibus fundamentalibus ὁμοψύχως esse gloriantur. Quam ipsam assertionem exercitij gratiâ disquisitioni ac ventilationi publicæ exponere cum Deo est animus. *Jehova vias suas scire faciat me, semitas suas doceat me.*

V.

Ut autem status controversiæ rectius formetur, & ambiguitates, quibus ludunt, melius vitentur, præmittendum est. Non nostros Theologos adeò morosos esse, ut cum *Tannero Sess. II. Coll. Rat.* omne quod in Biblijs occurrit, etiam, quod canis caudam moverit. Tob. II. articulis fidei accenseant, aut cuivis Christiano cognitum necessarium ad salutem existiment. Distinguere quippe norunt inter Dogmatica & Historica, quæ, ut omnes sciant necessarium non est, interq; ipsa Dogmatica discrimen esse planum est. Ex quibus sane Articulos illos maximè Christianum nosse decet, qui directè spectant causas nostræ salutis sive efficientem, ut de Dei essentia & voluntate: sive meritoriam, ut de Christi persona & officio: sive Instrumentalem, ut de Verbo, Sacramentis, Fide: sive Materialem, ut de homine justificando: sive formalem, ut de modo justificationis: sive finalem, ut de salute æterna, quandoquidem fieri nequit

ut

ut, qui errorem in causa salutis habet, ea credere aut facere possit,  
quæ ad salutem pertinent. Vide hæc deducentem Clarissimum  
*Meisnerum Theol. Prot. c. 4. n. 1. seqq.*

VI.

II. Ad consensum in articulo fundamentali non sufficere con-  
venientiam verbalem: sed requiri verborum sensum, quod notan-  
dum contra Parei distinctionem *inter Articulos Theologicos &*  
*Catholicos Iren. c. 4. pag. 15.* V. g. Nec Lutherani, nec Photiniani  
conveniunt de Christo Redemptore Mundi, etsi utraq; pars re-  
demptorem dicat, quod hi Redemptorem tantum exemplo, nos  
redemptorem satisfactione esse existimemus. Ita certum est, nos  
& Calvinianos confiteri, Christum esse Deum & hominem in uni-  
tate personæ, esse redemptorem mundi, esse præsentem in cœna:  
Sed an in sensu conveniamus, hoc merito dubium, imò, quod non  
consentiamus, omnino credimus.

VII.

III. Aliud esse, directè negare cardinalem Fidei articulum,  
aliud indirectè in aliquem impingere, cum fieri possit, ut tales sint  
adhuc de Ecclesia, sicut Galatæ, recipientes dogma de necessitate  
Circumcisionis, qui si fuissent prolapsi in confinem errorem & qua-  
si inde emergentem de justificatione operum, à Christo penitus ex-  
cidissent: Gal. 5. 4. Fit autem directæ negatio cardinalis Fidei  
articuli, quando id, quod Scriptura, quo ad causas salutis affirmat,  
præcisè & simpliciter negatur. IV. Aliud esse ignorare cœlestem  
veritatem, aliud monstratam impugnare. Proculdubio enim pro  
infinitâ suâ Misericordiâ clementissimus Deus multas infirmitates  
& ignorantias in simplicibus Laicis non videt: cum aliàs etiam ij,  
qui fundamentum directè non impugnant, si admoniti errorem  
non abijciant, damnationis reatum sibi contrahant, propter  
cœlestis veritatis contemptum & pertinax in errore perseverandi  
propositum.

VIII.

Proinde V. distinguunt inter Doctores & Auditores. Neq;  
quæritur, an omnes Auditores Calvinianorum in fundamento Fi-  
dei errent, cum corda ab homine inspicere nequeant, & probabile  
sit,

sic, plurimos in simplicitate fidei persistere, & eadem de Christo, Sacramentis & prædestinatione nobiscum credere, præsertim cum Doctores Calviniani in concionibus publicis suos errores non ita prodant, quod de se suaq; sententia in articulo de prædestinatione confessus est *Beza coll. Momp.* & quotusquisq; est inter discentes, qui vel Calvinianorum confessiones publicas legit, aut scripta polemica vidit?

IX

Ideoq; VI. multo minus totas Ecclesias Fundamentalium errorum accusant, cum & perditissimis temporibus ex Israële septem servavit millia Dominus, sed hic est verus status; Annon Calviniani Doctores, quantum ex confessionibus ipsorum publicis nomine Ecclesiarum editis, aut alijs scriptis videre est, propugnent talia dogmata, quæ directè in Articulorum Fundamentalium sensum impingunt, damnationisq; reatum credita secum conjunctum habent, & proinde in Fundamento à nobis dissentiant, ut dextra Fratritatis ijs meritò denegata sit, denegariq; debeat.

X.

Affirmant Nostri: Negant Calviniani: Affirmativa nostrarum ut probetur, produco l. *Articulum de S. Sanctâ Jesu Christi Domini nostri cœna:* in quo quam maximè dissidemus, siquidem ille fons est Disputationū reliquarum, quarum fluctibus nostra obruntur tempora; unde etiã magnitudo hujus dissidij facit, quod in nullo reliquorum controversorum capitum ita disconveniat, ut in hoc, siquidem in eo Calvinianis nobiscum convenit, (qui aliàs vel de ipso dissensu à nobis dissentiunt,) quod hic non conveniamus aut idem sentiamus, in re, licet velint videri consentire. Quod dixi ex omnium Irenicis scriptis manifestum est.

XI

Negant enim dissentire partes de præsentia carnis & sanguinis Christi in cœna, controversiam esse de modo præsentia *Pare. Iren. cap. 13. pag. 69. seqq.* quomodo non solum nos, ludunt, sed etiam Augustissimos Principes, inclytos Magistratus candidos Theologos, indoctumq; populum, ad id credendum impellunt. Hinc Magistratus Tigurinus anno 1536. ad felicissimum

mum



num illum stabuli non Augiæ, sed Pontificij Repurgatorem Me-  
galandrum *Lutherum* scripsit, tantummodo superesse controver-  
sum: *An Christi corpus de cælo descendat*, cum articulus Fidei dicat  
antè diem extremum non descensurum: item an sit præsentia ter-  
rena & carnalis: unde & ijs sequenti anno, si de modo præsentia  
tantum sit quæstio, facile coalituram concordiam vulnusq; obdu-  
ctum iri sperans, amicissimè respondit. Idem cum Tigurinis  
credidit inq; legatione anno 1583. expedita, cum per literas tum per  
*Segurium* legationis caput Germanis Principibus significavit rebus  
actis & auctis Maximus NAVARRÆ REX. vide Sleid. Cont.  
Lundorp. lib. 23. Idem *Baro de Cleroan* anno 1586. se Gallosq; opi-  
nari, D. Jacobo Andrea est confessus, unde colloquium Mom-  
pelgartense ortum traxit. Eodem furo os sublitum est Theologis  
Wormatiæ congregatis Philippo, Brentio, Marbachio, anno 1557.  
à Beza & Farello protestantium Principum ad Regem Gallia pro  
captivis Hugunottis intercessionem impetraturis, expressè fatenti-  
bus ipsam carnis Christi substantiam exhiberi in sacra cœna, & dis-  
sensionem inter Theologos non de re ipsa esse, sed de modo præ-  
sentia, qui Deo sit notus.

## XII.

Sed decepti sunt Inclyti optimiq; hi viri à vafricie Calvinia-  
norum, qui sicut Beza & Farel. responderunt Helvetijs, reprehen-  
dentibus, confessionem nimis Lutheranam, quoties bono dolo  
ipsis opus est, clam apud se in scrinio pectoris duas has voces *per  
Fidem & spiritualiter*, retinent, atq; ita velut præstigijs alios ludunt.  
Homonymia enim est in voce præsentia, quæ propriè significat Ex-  
hibitivam sive Substantialem, quâ aliquid mihi etiam non cogitan-  
ti essentiâ suâ præsens est; Æquivocè Signativam sive Spiritualem,  
cum illud non adest, quod præsens dicitur adesse sua essentia, sed  
aliquid aliud, quod mihi per repræsentationem in memoriam re-  
vocat alterum absens, sicut Ajax & Orestes in scena præsentibus sunt,  
quando mimi repræsentant tantum ipsos absentes. Ita & (2.) qui  
disputant de modo præsentia, (quem tamen posse nesciri, aut in-  
telligi, nos largimur ultro) vel conveniunt in eo, quod aliquod sic  
præsens præsentia substantiali, & disputant tantum: An circum-  
scri-

scriptive, vel definitivè, vel repletive adsit &c. Vel conveniunt saltem in nomine æquivoco præsentia, & disputant, An præsentia substantiali vel signativâ adsit. (3.) Manducatio alia est propria, quæ peragitur ministerio oris, etsi non statim adsint omnia, quæ communem manducationem concomitantur: alia figurativa, quæ non peragitur ministerio oris.

### XIII.

Quamvis ergo utrinq; fateamur, Christum esse præsentem in cœna: nos tamen præsentiam exhibitivam sive substantialem, modum præsentia priorum (si de illo quæstio) & manducationem propriam intelligimus: illi præsentiam signativam sive spiritualem, modum posteriorem & manducationem figuratam. Unde cum verus status totius controversiæ sit: Quid illud sit, quod in cœna Dominica adest, quod vescentibus exhibetur, quod jubentur sumere proprie Manducando & Bibendo? ipsaq; Veritas respondeat, **HOC EST CORPUS MEUM**, his verbis nos simplicissimè inhæremus, quod in nullis sedibus hujus articuli res hæc aliter exponatur & sciamus, quàm periculosum sit, Scripturâ non præcûte, Tropos quærere: Vide hoc aliasq; causas accuratissimè explicantem Magnum *Chemnitium in Fundamentis Cœ: cap. 7.* Contrâ Calviniani, ex vi Dogmatis non possunt aliter respondere, quàm, illud non esse corpus Christi, sed panem, qui sit signum corporis tam procul ab hoc pane, qui comedendus porrigitur, substantialiter absentis, quam procul distat supremum cœlum ab intima terrâ.

### XIV.

Lubet hoc ipsum demonstratum dare ex confessionibus Calvinianorum publicis ita argumentando. Quicumq; 1. negant Christum Substantialiter adesse, 2. Negant ore corpus Christi accipi. 3. credunt unionem inter corpus Christi & panem tantum figurativam esse. 4. Quod sicut panem porrigit Minister, ita Spiritus Sanctus Carnem Christi intus in corde, 5. aut, sicut os comedit panem, ita corpus Christi Fides, 6. Cui Fidei sicut tantum præsens, 7. eo modo sicut patribus in Veteri Testamento 8. aut cuivis fidei etiam extra usum Eucharistiæ, (quamvis id peculiare sit, quod hic panis singulariter à Christo ad id significandum

dum segregatus sit.) 9. existimant Christum extra cælum aliquod suo modo locale à terris, in quibus peragitur Cœna, procul distitum, substantialiter præsentem non esse. 10. ut si qua præsentia realis sit, intelligenda sit ratione operationis. 11. quomodo Sol longo intervallo à nobis distans, nobis adest. Deniq; 12. negant, infideles corpus Christi manducare, ij non intelligunt in cœna præsentiam nisi signativam, non manducationem, nisi figuratam. Calviniani Doctores id faciunt. Ergo.

XV.

Minoris primum membrum confirmat *Declar. Con. prio. Helv. ad art. 22. Non substantialiter editur Corpus Christi, i. e. Corporaliter ac carnaliter corpore in panem incluso, sed spiritualiter, id est, spirituali modo & mente fideli; quæ verba proculdubio opposita sunt nostratum sententiæ, quanquam pessimâ fide eam in posterioribus exprimant, nostris toties corporaliter & carnaliter corpus in panem includere se negantibus.* (2.) *Belgica Confess. cap. 35. Nequaquam erraverimus dicentes, id, quod comeditur, esse ipsissimum corpus Christi naturale. At instrumentum seu medium, quo hæc comedimus, non est os corporeum.* (3.) *Declar. Confess. prio. Helv. ad art. 22. Negamus corpus Christi uniri cum symbolis ulla alia, quam mystica ratione. Mysticam autem rationem dicunt consistere non in eo, quod alterum contineatur sacramentaliter in altero, sed symbola res per symbola significatas figurent, annuncient, visibiliter ostendant, & ob oculos ponant. Declar. ad art. 20.* (4.) *Confess. Helv. post. cap. 21. Visibiliter hoc foris sacramento per ministrum representatur, & veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima invisibiliter per ipsum Sp: Sanct: præstatur.* (5.) *Conf. Belg. art. 35. Ut panem hunc spiritua-lem representaret nobis seu figuraret, instituit panem & vinum terrenum & visibilem in corporis & sanguinis sui sacramentum. Iis verè testificatur, nos, quam verè accipimus & tenemus manibus nostris hoc Sacramentum, illudq; ore comedimus ( unde & postmodum vita hæc nostra sustentatur ) tam verè nos etiam fide ( que anime nostræ est instar manus & oris ) recipere verum corpus Servatoris in animis nostris ad vitam spiritua-lem in nobis fovendam.* (6.) *Basil. Confes. art. 6. Confitemur, Christum in sacrâ suâ Cœnâ omnibus verè credentibus præsentem esse: quod in margine ita explicatur, Sacramentaliter*

B

nimi.

nimirum, & per memoracionem fidei, quæ hominis mentem ad cælos attollit nec Christum secundum humanitatem à dextra Dei detrahit. (7.) Conf. Helv. post. cap. 19. Quantum attinet ad illud, quod in Sacramento est præcipuum & res ipsa, paria sunt utriusq; populi Sacramenta. Non enim his verbis in Schola Calviniana tractus Sacramenti idem explicatur, sed & pars invisibilis signorum tollitur. (8.) Conf. Helv. post. cap. 21. Fit esus & potus spiritualis etiam extra Domini Cœnam, & quoties aut ubicunq; homo crediderit, & c. præter illum est & Sacramentalis, cum foris etiam accedendo ad mensam Domini accipit visibile corporis & sanguinis Domini Sacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, vivificum alimentum percepit, & ipso fruitur adhuc, sed ideo dum Sacramentum quoq; accipit non nihil accipit. Nam in continuatione communicationis corporis & sanguinis Domini pergit. (9.) Declar. Conf. Helv. prio. ad art. 22. quæ ideo negat oralem manducationem, quod Christus reliquerit hunc mundum, nunc autem sedeat ad dextram Patris in gloria cœlesti. Eodem modo Conf. Angl. idem negat, quod sursum habenda sint corda in cœlum dirigenda, ubi sit is, de quo nos oporteat satiarī, ac vivere; art. 12. (10.) Conf. Gall. art. 30. Quamvis nunc sit in cœlis ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum judicaturus: Credimus tamen eum arcana & incomprehensibili spiritus sui virtute nos nutrire ac vivificare sui corporis ac sanguinis substantiâ. (11.) Conf. Helv. post. cap. 21. Corpus Christi in cœlis est ad dextram Patris, & tamen non absens est Ecclesiæ suæ celebranti cœnam Dominus: Sol absens à nobis in cœlo, nihilominus efficaciter præsens est nobis: quanto magis Sol justitiæ Christus corpore in cœlis absens, præsens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per vivificam operationem. (12.) Cæterum qui nulla cum fide ad hanc sacram Domini mensam accedit, sacramento duntaxat communicat, & rem sacramenti, unde est vita & salus, non percipit ibidem.

XVI.

Manifesta ergo est Dissensio in hoc articulo, altera parte præsentiam exhibitivam & substantialem asserente, altera parte eam præsentiam reiçiente, & aliam præsentiam-non præsentiam substituente, ex qua dissensione partem pertinaciter errantem damnationis reatum sibi contrahere per superius annotata puto non minus manifestum. Ex abundantia tamen speciales rationes addi-

addimus, quarum **I. Quicumq;** non dijudicat corpus Domini, iudicium sibi manducat. *1. Cor. 11. 29.* Una pars propter hanc dissensionem non dijudicat corpus Domini. Non enim loquitur Paulus de dijudicatione humanæ naturæ in Christo per se & absolutè, sed quia id, quod in Cœna manducamus, vocatur corpus Christi. illud vult non dijudicari utiq; juxta privatas cujusq; conjecturas, sed secundum illa verba, & ex illis verbis Testamenti. Qui ergo aberrat à genuino sensu istorum verborum, ille non potest dijudicare corpus Christi secundum illa verba. At una pars necessariò aberrat. Ergo una pars non dijudicat. Ergo una pars iudicium sibi manducat. Propterea rectè *Ambrosius in 1. Cor. 11. Indignus est Domino, qui aliter celebrat hoc mysterium, quam datum est ab autore. Non enim potest devotus esse, qui aliter presumit, quam datum est ab autore.* Confirmatur hoc (2) quod cum hoc Testamentum ipse Filius in ea nocte, qua traditus est, de negotio omnium gravissimo affectibus verbis & gestibus maximè serijs condiderit, ut Traditio hæc novi dogmatis permaneret usq; ad finem seculi, sine dubio huc pertineant, quæ traduntur *Deut. 5. 32. Ne declinetis in præceptis Domini ad dextrem aut sinistram, addendo vel minuendo sap. 4. 2. & quæ cap. 18. 19. Si quis verba Prophetæ illius, quæ loquetur in nomine meo, non audierit, ego requiram ab eo.* Inde *Cypr. Venerabilissimè illud Matth. cap. 5. 19. ad controversias de cœna applicat. Si ne unum quidem, inquit, ex minimis mandatis solvere debet, multò minus ex his magnis mandatis pertinentibus ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis Sacramentum, fas est ullum infringere vel humana traditione mutare. lib. 2. ep. 3. Quid? quod & (3.) Pareus inter fundamentales dissensiones pontificiorum & Lutheranorum numeret, quod illi disputent, panem in cœnâ non adesse, nobis defendentibus panem in cœna adesse. *Irenic. p. 180?* Et negare audent fundamentaliter dissentire, quorum hi ipsum corpus Christi abesse, hi non abesse modis omnibus tueri student.*

#### XVII,

Nec tamen hic sola lis consistit: quin articulus de Cœna, exordium saltem est, non exodium acerrimarum pugnarum, quandoquidem cum errorem semel animo præconceptum sine ruina aliorum Christianæ religionis capitum errare nequeant, maluerint

plures falsitates addere, quam unam abijcere, multa mala docere, quam unum bene discere, adeoq; II. ipsam *Doctrinam de Christo Deo Homine* impugnare, quam Sacro S. ipsius Testamentum comprobare. Cum enim inter cœtera sententiam veram labefacturum ex verbis, *Caro non prodest quicquam*, & inprimis pagellas de Christi in Cœlum inclusione implentibus, Nostrates ostenderent, cum *Cyrillo & August.* Discrimen inter carnem nudi hominis, & Hominis Deificati, monstrarentq; quam non infringat ex simplicissima verborum Christi explicatione fluentem præsentiam carnis in cœna, unione hypostatica rectè explicatâ, Ascensio ad cœlos, transitus ad patrem &c. ibi quod ignem hunc dissidij extinguere, debuisset, & potuisset, modo apertæ veritati locus fuisset relictus, oleum erat, fragrantia latius serpente, flammisq; ad usq; ipsum folium Christi, proh dolor! erumpentibus, seu, ut habet alius profanus scriptor, emanantibus.

#### XVIII.

Hinc I. cum nos asseramus divinam naturam Characterem Hypostatico Filij insignitam, unitam esse humanæ naturæ, eò quod *omnis plenitudo Deitatis in Christo habiter corporaliter Col. 2. 9. & vita patefacta sit 1. Johan. 1. v. 1. & 2.* illi disputant, personam, non naturam divinam Naturam nostram assumpsisse *Dana. Exam. Chemn. pag: 82. Sohn: Exe: pag: 192. 193. Beza par. 1. resp: ad Coll: Momp: Apol. Anhalt pag. 246. 247.*

#### XIX.

Quam *ὑπόστασις* unionem, ut maximè ubiq; crepent, crepant tamen saltem, neq; II. nobiscum credunt, quod cum *Filius prædicetur particeps carnis & sanguinis, Hebr. 2. 14. & Maria Dei filium pepererit. Luc. 1. 35. & Dei filius ex semine David natus Rom 1. 3. & ex muliere factus. Gal. 4. 4. & Filius Hominis sit Filius Dei vivi, Matt. 16. 10. & secundus homo sit ipse Dominus de cœlo. 1. Cor: 15. 47.* Caro sanguisq; sint *μὲθχα ἡμῶν* divinæ Hypostaseos, in qua communicatione subsistentiæ unio personalis consistit.

#### XX.

Namq; I. Si Hypostasis est communicata carni. Ergo & Natura divina. Ergo, & omnia idiomata, quæ non realiter differunt à  
subsi.

subsistentia divinâ. Conseq: tenet in schola Calviniana, quia ne-  
 gant omnipotentiam divinam esse carni communicatam, quod sic  
 omnia, quæ non realiter distincta ab omnipotentia, etiam infinitas,  
 communicata essent. *Beza Coll. Momp: 223. Adm: Neo: pag. 250. (2.)*  
 apertè *Grabi: contra Hunnium pag. 40.* monstruosam verborum for-  
 mam appellat, si dicatur, λόγον suam Hypostasim realiter communi-  
 casse assumptæ carni & *Mart. in lib. 2. de persona Christi pag. 558.* ne-  
 gat propriè loquendo personalitatem λόγου carni communicari &  
*pag. 574.* negat humanam naturam accipere subsistentiam. & *Copp.*  
*disp. de mysterio Incarn. thesi 8.* Datam esse ὑπόστασιν τῷ λόγῳ natu-  
 ræ humanæ negat. Alij volunt Hypostaticè uniri nihil aliud esse,  
 quam verbo nudè adjungi, seu esse nihil aliud, quàm, quod caro hu-  
 mana sustentetur, & gestetur à λόγῳ, ne in nihilum redigatur. Vi-  
 deatur *Pezel. parte 1. Object. p. 174. Dan. Exam. pag. 84 Martyr. Dial.*  
*Fol. 10. σερέωμῳ Pseudo Witteb. hhh. 1. (3.)* Si hoc efficit unionem  
 personalem, quod *Tota plenitudo Deitatis τῷ λόγῳ habitet in carne*  
*Christi corporaliter*, ut nos ex *Col. 2. 9.* credimus, contraria assertio,  
 quod *Tota plenitudo Deitatis τῷ λόγῳ non inhabitet* carnem Christi  
 corporaliter (sive quod totus λόγος sit intra carnē, & totus λόγος  
 SIT EXTRA CARNEM, ut loquitur *Zanch. Tomo 2. ope.*  
*pag. mihi 121.* & communiter ferè omnes) eandem unionem de-  
 struet. Si vellem tela ex pharetrâ *Sobniana, Exeg. A. C. pag. 207.*  
 mihi suggeri, ita stringerem. Quod est extra humanam naturam,  
 non est Hypostasis humanæ naturæ, quia persona non est extra suam  
 naturam. Sicut enim impossibile est, ut λόγος, quia est Hyposta-  
 sis suæ naturæ divinæ, sit extra suam naturam divinam: Sic etiam  
 impossibile est, ut sit extra illud, cujus æquè propria Hypostasis in  
 tempore esse cœpit. Sed λόγος est extra naturam humanam apud  
 Calvinianos. Ergo λόγος non est Hypostasis Humanæ Naturæ.

X XI.

Elucescet hæc res (4.) ex resolutione propositionum immedia-  
 tè unionem hanc exprimentium, Deus est Homo, & Homo est  
 Deus. Immotum veritatis fundamentum est, ut sunt in Christo  
 duæ Naturæ, quæ in una persona copulantur, ita in propositioni-

bus eandem unionem immediatè exprimentibus, unam Naturam in antecedente, alteram in consequente, & per vinculum earum unionem personalem designari, unde fit, ut una Natura prædicetur de altera in concreto. Si idem nobiscum Calviniani de unione sentiant, eodem modo has intelligent. Sed nihil minus fit, alijs disputantibus, quod *non prædicationes reales sint, sed verbales.* Dan. pag. 290. Exam. Chemn. *Sint appellationis seu honoris verbalis communicatio.* pag. 290. & 291. unde *Admonit. Neostad. Homo iste, inquit, partim re ipsa, partim nomine tenus est DEUS:* pag. 66. alijs, quod sint identicæ Ratio Dei de sua Hypostasi prædicato, alijs, quod sint per allæosin explicandæ, quæ de altera in Christo Naturâ loquentes alterius vocibus utamur. Zvingl. alijs, quod sint Tropicæ, alijs quod de individuo prædicetur species, alijs quod aliter resolvendæ sint.

#### XXII.

Non existimabis scio, dissensum hunc secundum esse parvi momenti, cum de ipsa essentia unionis erretur: Ubi errato semel admissio, non potest non de effectu unionis, Communicatione idiomatum simul error admitti, quod verum esse Calviniani suo exemplo satis declarant.

#### XXIII.

In scriptura habentur 3. Classes propositionum ex unione fluentium, ad quarum primam hæc pertinent. *Ipse Dei filius est ex virgine natus Luc. 1. 35. Auctor vitæ est trucidatus Act. 3. 15. Dominus gloriæ crucifixus 1. Cor. 2. 8. Filius Dei semetipsum tradidit pro nobis Gal. 2. 20.* Hic quia nos verè credimus, duas istas naturas ad unum *ὁμοῦσι μίρον* esse unitas, ut non sit alia persona Deus, alia Homo, manemus in simplicissima Textus literâ, & in subjecto ipsissimam personam divinam intelligimus, quæ tam arctè & ineffabiliter sibi humanam naturam univit, ut omnia *ἐνεργήματα & παθήματα* carnis non minus realissimè sua sint, quàm si in ipsâ divinâ naturâ ea perfecisset & sustinuisset. Calviniani concedunt has propositiones esse verba scripturæ, sed verbales esse clamant, & ad tropos confugiunt. Reverâ docent cum *Herbornens. Humanam Christi Naturam tantum mortuam esse, non Deitatem, non TOTAM PERSONAM* libr. 2. Rud. pag. 100. *Deum, id est, carnem Deitati unitam.*

Beza.



Beza Coll. Mompel. Deum passum & mortuum esse realiter, quatenus homo est, sed nominatenus, quatenus Deus, cum Admon. Neostad. pag. 250. Passionem Christi non nisi Dialectica predicatione Deo attribui absq; ulla reali communicatione cum Dan. Exam. Chemn. pag. 321. quibus effatis, cum sola humana natura passione sua satisfacere iræ Dei nequeat, quomodo non liberationem à maledictione, plenariam satisfactionem pro peccatis, partamq; salutem in dubium vocent, ego nullus video. Nam rectè Junius, Calvinianus & ipse: Passio solius carnis, quantumvis justissimæ, pro se non satisfacit, pro alijs minus, pro mundo minimè.

X X I V.

Hinc IV. nec *ἕνωσις* rectè exprimunt. Nos cum naturarum in una persona communicationem tam arctam credamus, ut vere DEUS SIT HOMO, & HOMO SIT DEUS, neutram sine altera agere credimus, ut Deus operetur miracula, sed non sine Humanitate, & Humanitas operetur humilia, sed non sine Deitate, quia scriptura manifestè testatur, ideo unionem factam, ut officium Redemptionis, Salvationis in utraq; & per utramq; perageretur. Gal. 4. Rom. 8. 3. Unde, quod antiquitas venustissimè observavit, in miraculis adhibuit vel verbum, vel contactum corporalem. Contra Calvin. ut communicationem naturarum negarunt, ita & operationum communicationem impugnant, expressè scribentes, in mysterio redemptionis Mundi & vivificationis nature humane duntaxat humana, & divina tantum divina asseri, humanamq; non agere divina, vel divinam humana. Grab. contra D. Hun. pag. 75. & nequaquam concurrere carnem Christi etiam glorificatam ad regnorum administrationem, Regum dejectionem, miraculorum effectiorem. Divinam Christi Naturam humanitatem sibi quidem habere adjunctam, sed non cooperantem, carnem Christi non plus conferre ad efficiendam vivificationem & salutem, quam ad edita ab Apostolis miracula caro Apostolorum contulerit, aut Virga Mosis ad edenda miracula proposuerit. Dan. in Exam. passim pag. 87. 104. 107. 186. 365. 391. alibi Par. Iren. pag. 143. scribit, Christum edidisse miracula Deitatis operatione, formali carnis cooperatione, h. e. voluntate, voce, ac imperio, quæ formaliter fluxerint ab humanitate: Cum verò humanitatis imperium nullum sit à viribus naturalibus, unde pag. 268. omittit

omittit imperium, quomodo non in has blasphemias etiam incidet, sicut & *Admon. Neostad. effectioem miraculorum Deitati, voluntatem vero Deitati & Humanitati tribuens pag. 78.*

XXV.

Et qui possent aliter statuere, cum V. magno conatu & planè inficientur, imo ut Eutychnianum abominentur, carnem assumptam participem factam esse ex unione personali divinorum idiomatum, ut infinitæ omnipotentæ, omniscientiæ, &c. Et tamen scriptura hoc apertissimè confirmat, cum omnem potestatem in cælo & terra Christo, similiaq; data esse testatur Matth. 28: 18. Apoc. 5. 12. Joh. 17. 12. Psal. 8. 7. Heb. 2. 8. Act. 2. 26. Dan. 7. 14. Psal. 45. 8. quam dationem Christo secundum humanam naturam competere evidens est, ut cætera mittam. 1. ex immutabili essentiæ divinæ possessione, cui nihil dari potest in tempore. Mala. 3. 6. Jac. 1. 17. 1. ex aperta determinatione, *pater dedit Filio potestatem faciendi iudicium, quatenus filius hominis est Joh: 5. 57. & 25. Caro Christi est vivificus panis Joh: 6. v. 51.* 3. ex Paulina verbi *ἐξαείοντο* usurpatione *Phil. 2. 9.* Calviniani hæc omnia contemnunt, & contra vel data esse divina idiomata negant concedentes. Data esse secundum humanam naturam, *Beza parte 1. Respons: ad Coll: Mompel: pag: 173. 144. Dan: Exam: Chemn: pag: 361. Admon: Neostad: pag: 87.* vel si concedant intelligenda esse divina idiomata, negant data esse humanitati, sed personæ, ubi subsistendum sit, cum *Trelca.* vel glorificatio sit intelligenda secundum manifestationem, vel sit referenda ad utramq; naturam, facta tamen duplici sessione ad dextram Patris, quarum altera tanquam superior Deitati, altera tanquam inferior humanitati tribuenda sit. *Sohn: Exeg: p. 255 279.]*

XXVI.

Errantem partem damnationis reatum sibi contrahere nimis eheu! manifestum, dum quidem si nostri errarent, ut non errant, Majestatem divinam tribuant illi, cui non competit. Calviniani verò carni ipsius Dei suam dignitatem denegent. Nam & indignè manducantes, 1. Cor. 11. 27. ob contemptum symboli reos fieri putant: quantò magis ergo, qui Majestatem carnis Christi violat?

Quia

## XXVII.

Quia verò de communicatione Idiomatum dissentimus, neq; VI. de Exinanitione non dissentire possumus. Nōstra fides est, ipsam in eo consistere, quod cū Christo secundum humanitatem communicata esset à primo unionis momento divina majestas, hujus non possessione, sed usurpatione (licet interdum etiam in miraculis manifestata fuerit) abstinerit, neq; in & per carnem suam semper gloriose se gesserit, factus obediens Deo ad mortem, mortem autem crucis. Fundamentum fidei præter reliqua est locus *Phil. 2. 7.* ubi quod dicitur, *Christum, qui erat in formâ Dei, inaniuisse se, assumpta forma servi*, intelligendum esse non de λόγῳ ex misericordia carnem assumente, sed carne usu gloriæ donatæ propter nostram utilitatem ad tempus se abdicante ignominiaq; se subijciente, nostrates ostendunt (1.) ex eo, quod non possit dici de Christo secundum Deitatem, ipsum esse in forma Dei, cum sit ipse Deus (2.) quod non exuerit in exaltatione naturam humanam, ubi tamen formam servi exiit. (3.) quod non facile dicatur, Christus sive λόγῳ incarnatus, incarnatus est. (4.) quod Paulus hanc assumptionem formæ serui describat per obedientiam usq; ad mortem, quæ ut & plura argumenta deducit *Hunnus tomo 4, oper: pag: 609. seq:* Adde his (5.) in ipso etiam exinanitionis statu semper Christum secundum divinitatem cum patre operatum *Joh. 5. 17.* (6.) evacuasse se plenario usu ejus gloriæ, quam interdum in miraculis manifestavit *Joh: 2. 11.* & facile apparebit, non orthodoxè sentire de hoc articulo Calvinianos, qui nolunt concedere, Christum abstinuisse usu divinorum idiomatum, cum nunquam ipsi communicata credant: aut disputant evacuationem factam esse in humanitate, quoad usum finitorum habitualium donorum: aut in divinitate, quoad omissionem cujusdam divinæ effectiois *Croc: disp: 10. Apolog: th. 95.*

## XXVIII.

VII. Quis jam consensus sperandus est de Exaltatione, cum de contrario ejus, exinanitione tam immane litigium? Nempe illi antiquum obtinent, & vel ad divinam naturam referunt *Orth. Conf. Epist: Apol: pag. 3. fac: 1.* & totam personam in Christo, non tamen secundum Deitatem nec Humanitatem *Beza in Coll: Mompelg: p. 211. 213. Salm. exeg. A. C. p. 411.* vel per φανέρωσιν explicant. *Croc: disp:*

*diff. 10. th. 95.* Non autem credunt, sicut nos credimus, intelligendam exaltationem esse de donatione gloriae, quam apud patrem ab æterno ὡς ἔστι habuit, *Joh. 17. 5.* & donatione nominis supra omne nomen *Phil. 2. 9.* quæ secundum carnem Christo competit, quia primò hanc rem frequenter scriptura ita describit, ut non possit aliter nisi de ipsa natura humana accipi, sicut connectuntur mors Christi, & resurrectio & exaltatio ad dexteram Dei *Eph. 1. 20.* Sessio ad dexteram Dei & melioratio præ Angelis *Heb. 1. 13.* Imò tanquam fructus quidam passionis Christi describitur *Psal. 110. v. ultim: Phil. 2. 9.* (2.) quia Deitas non potest exaltari. (3.) In tempore, quo hæc facta, (4.) quia petit *Joh. 17. 5.* PATER GLORICA ME APUD TEMETIPSUM EA GLORIA QUAM AB ÆTERNO HABUI, quod dictum nulla sophistica, quicquid tandem fingatur, ad dogma Calvinianum aptari potest. Addimus (5.) quod, cum sedere ad dexteram Dei, sit æquali imperio cum patre omnes res gubernare, & verò Christus, secundum divinitatem id ab æterno fecerit, secundum divinitatem ei non possit competere exaltatio, per quam ad sessionem istam est evehctus.

### XXIX.

Sed Calviniani nihil minus, quam hoc sequi clamant. Nam somniant dexteram Patris locum quendam felicitatis appellari in cœlis cum *Bulling. Comm. 1. Epistola ad Corinth: nescio an & Confess: Helv: post.* ubi dicitur *cap. ii* Christus ascendit in cœlum sedem videlicet Dei & beatorum ad dexteram Dei patris, quæ etsi & gloria Majestatisq; consortium æquale significat, accipitur tamen & pro certo loco: aut certè sessionis ad dexteram patris certum locum esse definiunt, quo oporteat illum capi, donec veniat judicatum vivos & mortuos cum *Beza ad tertiam Brent: libri partem & Ursin.* dextram Dei non ubiq; esse dicit, sed extrahunc mundum in cœlo *Catec. pag. 297.* aut sessionem ad dexteram Dei sumunt pro secundo vel proximo gradu, quem Dei vicarius occupat cum *Calv. in 21. cap: Matth. v. 44 c. 26. v. 64 & Mar. 16. v. 19. Zanch. tom 8. oper. p. m. 178:* aut aliud quid comminiscuntur: nunquam verò de Imperij divini super omnes creaturas administratione carni per exaltationem tributâ explicant, siquidem *Adm. Neost. pag. 78.* expressè negat, *Christum omnia*

*omnia opera divina ubiq; per humanam naturam tanquam per instrumentum efficere. NON enim EXAUDIT OMNES, SERVAT HOMINES, DAT SPIRITUM SANCTUM SUA HUMANITATE.*

XXX.

Dissensus hic VIII. est nobis, rō sedere ad dexteram Dei cum Paulo exponentibus per Regnare 1. Cor. 15. 25. Dextram Dei per *Dextram Majestatis*, cum scriptura Heb. 1 3. *Dextram sedis Dei* Heb. 12: 2. *Dextram potentia* Matth: 26. 64. Cœlumq; non de cœlo, in quod Elias est translatus, sed de longè excelsiore, quandoquidem penetravit cœlos Heb: 4. 14. *ascendit super omnes cœlos* Ephes: 4. 10. *ipsis cœlis excelsior factus* Heb: 7. 27. *subjectis Angelis potestatibus & virtutibus* 1. Pet: 3. 22. Cœlo nempe, in quo pater Matt. 5. 48. unde prospicit *Psalmo* 14. 2. & auxilium mittit *Psal:* 57. 4.

XXXI.

Hinc jam oritur fortissimum argumentum pro sententia nostrarum Ecclesiarum de omnipræsencia carnis Christi, quæ tanto motu animorum nunc controvertitur. Quisquis, inquam, sedet ad dexteram Dei, is præsenter adest omnibus creaturis. Christus secundum humanitatem sedet ad dexteram Dei. Ergo secundum humanitatem præsenter adest omnibus creaturis. Confirmatur secundo quod *Christus ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia* Eph: 4. 10. cum quo coneratur c. 1. v. 23. & Jer: 23. v. 23. & 24. sicut (3.) & usq; ad finem seculi se nobiscum futurum promisit. Matth. 28. 20. Quin & (4.) etiam post ascensionem Paulus verâ ipsius corpus vidit, ut inde resurrectionem corporum nostrorum probare posset 1. Cor. 15. 8.

XXXII.

Dissentire se hac in parte à nobis nullus Calvinianus negat: id negant, disputationem hanc fundamentalem esse: sed quàm verè, viderint ipsi, cum hic de præsencia Hominis Dei agatur, cui propter unionem personalem par cum Deo reverentia debetur & verò ipsi eo nomine inter reliqua Vorstianam sententiã tamquã impiam blasphemam & in divinam veritatem ac majestatem contumeliosam rectè damnarint, quod Dei omnipræsenciam negarit *in syno. Dord. sess: 152.*

C 2

Urge-

## XXXIII.

Urgerem etiam ex his principijs Calvinianis sequi, Christum secundum humanitatem non esse adorandum. Nam qui non adest essentia, non intelligere nostras necessitates, nec ijs succurrere poterit, & per consequens non adorandus est. *Martin: lib. 1. pag. 117. De persona Christi* Christus secundum humanitatem non adest essentia. Communis Calvinianorum hæc vox est E. modo crederent cultum adorationis religiosæ Deo competentem, Christo secundum humanitatem etiam competere, quod nos credimus. Quanquam enim *ex gratiâ datum sit Christo, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium & terrestrium Phil: 2. 9.* Quanquam etiam (2.) juxta humanitatem sic noster mediator, quanquam (3.) *in sanguinem ipsius confidamus Rom 3. 25.* nihilominus *Daneus Carnem Christi in UNIONE PERSONALI PERMANENTEM adorantes blasphemos idololatrias damnatos* esse pronunciat in *Exam: Chemn: pag. 421.* ne unitam quidem *καρνα* CARNEM IN CHRISTO ESSE OBJECTUM nostræ adorationis statuens in *Exam: Chemn: pag. 417.*

## XXXIV.

Nos sic arguimus: Quicumq; de ipso objecto adorationis disputant ac dissentiunt, in fundamento fidei non conveniunt. Lutherani & Calviniani de ipso objecto adorationis disputant. Ergo in fundamento fidei non conveniunt.

## XXXV.

Res hæc tam clara, ut his freti statim desistamus ab enumeratione cæterorum dissensuum, qui numero adhuc multi in hoc articulo, & extemplo pergamus III. ad articulum de Electione & reprobatione, quem non levis momenti esse, ut in utramq; partem Scholasticè disputari possit, facile agnoscet is, qui hoc modo ipsum fundamentum Christianismi labefactari agnoscit. Nam cum fundamentum Christianismi sit decretum illud Dei, quo Christus à Deo statuitur caput & fundamentum illorum, qui salutis hæredes sunt, siquidem tota religio nititur mutua relatione inter hominem peccatorem & Christum servatorem, quæ relatio in decreto isto fundatur, utiq; quæ quæstiones attingunt dictum decretum, ipsum fundamentum Christianismi concernent, jam verò in confesso est dispu-

disputantes de Electione non posse non disputare de decreto, quo statuitur Christus caput & fundamentum salvandorum. Quid enim est aliud decretum, quo Christus statutus est caput & fundamentum salvandorum, quam decretum, quo Deus statuit, quosnam per Christum velit servari. Proin imprimis hic attendendum, ne quid diversum à sententia scripturæ in hoc mysterio statuamus. Videamus ergo: Anne cum sacra scriptura & nobis concordet sententia Calvinianorum, eaq; eruta potissimum ex actis synodi Dordrechanae, cum inde modernorum sententiæ optimè omnium cognosci possint.

XXXVI.

Igitur nos non excludimus ab electione hominum ad salutem **MERITUM CHRISTI FIDE APPREHENSUM** quia (1.) *elegit nos Deus in Christo ante constitutionem mundi Ephe: 1. 4. Gratos nos reddidit in dilecto filio suo v. 6. predestinavit nos per Jesum Christum v. 5.* (2.) quia *benedixit nobis in Christo sicut in ipso elegit Eph. 1. v. 3. & 4.* (3.) quia *electio facta est secundum præscientiam Rom. 8. 29. 1 Pet. 1. 2.* (4.) quia *gratia patefacta per illustrem adventum servatoris data fuit nobis in Christo ante tempora secularia 2. Tim. 1. 9.*

XXXVII.

Contra Calviniani decretum electionis ita absolutum statuunt, ut nullam planè includat meriti Christi fide apprehensi conditionem. Nihil namq; moramur effugium L. Crocij, qui secutus opinor *Aretium loco 6.* aut etiam *Bellar. lib. 2. de Grat. & Lib. Arb: c. 9.* Concedit non esse absolutum respectu Dei, quasi illi electionis vel nō electionis suæ ratio nulla constet *disp: 6. Apol: th: 61.* quandoquidē non est quæstio, de rationibus nobis impervestigabilibus, hisne sit notandum, sed annon sit rationibus in verbo revelatis, merito nempe Christi & fide apprehendente limitatum: multo minus effugium *Admon. Neostadiensium pag. 137.* absolutum nominari à suis non respectu fidei, sed operum, allerentium absurdissimè, cum *calumniam dicant esse, si quis dicat excludi fidem & BONA OPERA Zelandi in Judic: provin: Hanov: anno 20. p. 92. Moline: Anat: Arm: c. 17.* imo & reverà, quo modo relinquunt fidem, eo opera non tollunt, ut mox apparebit.

C3

Nam

XXXVIII.

Nam & Dordrechtani magnificè admodum rhetoricantur de Christi merito & fide ingredientibus electionem. *Electi sumus in Christo non sicut per eum dicimur conditi*, quod olim in Collat. Hag. responsum fuerat, *sed in Christo θεῶν ὁρῶντων tanquam capite. Nisi enim Deus & homo fuisset, non potuissimus in eo eligi* aiunt Emb: p. 581. *Decretum electionis est justissimum, utpote factum in Christo mediatore, ira Dei placatore, & hominum reconciliatore* Wetter. p. 566. *concludunt ergo, sed tanquam terminos ad quos, non à quibus, tanquam effecta, non tanquam causas. Hoc non de decreto in sese, sed ejus executione intellectum volumus* Embd. 582. *Remonstrantium Heterodoxa assertio est, Christum esse causam meritoriam electionis, ut quemadmodum nemo justificatur, nisi per & propter satisfactionem Christi verà fide apprehensam, ita nemo dicatur electus, nisi per idem meritum verà fide apprehensum* Hassi. 531. *Fides ut effectum electioni subordinatur, non substernitur ut antecedanea conditio* Palat. 510. *Voluntas enim Dei ad salutem eligentis non conditionata* Brit. 493.

XXXIX.

Apertè ergo nostræ propositioni, *per & propter meritum Christi fide apprehensum ex gratia eligisse nos Deum, per suam, non per & propter meritum Christi fide apprehensum elegisse nos Deum*, Contradicunt Calviniani, bipatentes portas ad Phoenicianismum aperientes. Nam si poterat Deus ante meritum Christi decretum homini lapsò certo decernere salutem (id est eligere, neq. enim loquor de affectu primæ commiserationis & generalis dilectionis) poterat etiam ante decretum meritum Christi ipsi actu conferre salutem, & sic non necessaria fuit satisfactio Christi, ut Deus genus humanum, cui justitiam offendenti interitum comminatus erat, justificare posset, quod docetur Rom. 3. 15. Heb. 9. 15. Consequentia est evidens, quia voluntas Dei non est magis libera, quàm actio Dei, aut actio Dei magis astricta, quàm voluntas Dei. Assumunt jam Calvini tanquam verum antecedens, nunquam ergo & evitabunt consequens, quanquam nec admodum solliciti sunt de consequentis evitacione, cum præfidenter & temere ab Arminio dictum, Deum non potuisse nos aliter servare quam per Christum, censeat Molin. Anat. t. 25. §. 16. & cum Thoma 3. sum: quest: 46. art. 2. Biel. 3. sent. 20. q. 11. Scoti ibidem q. uni. disputet Deum sine satisfactio.



atione, nudo beneplacito suo peccatori condonare posse. *Muscu: L. com c. 3. de Just: p 337.* Assumo, Deus eligit nos non iratus, ergo placatus. At Deus eligit ante decretum meritum Christi. Ergo ante decretum meritum Christi fuit placatus. Ergo sanguine Christi non est placatus Deus, quod dicitur. *Rom: 3. 25. 1. Job: 2. 2. c. 4. 10.* nec per crucem inimicitiae peremptae, quod asseritur *Eph. 2. 16. Rom. 5. 10.* Adde hic, quod *fides absoluti istius decreti effectus* sit *Brita: pag: 492. Genev. 555. & justificatio Embd: 586.* uti etiam, quod *doctrina de gratia Dei absolutissima sit cor Ecclesiae, sacrumq; palladium Genev: p: 212.* & ita argumentabor: qui disputant de causa fidei, justificationis, placationis, ipsoq; adeo corde Ecclesiae, illi in fundamento fidei dissentiunt. Lutherani & Calviniani de ijs disputant, quia Justificationem, fidem, placationem Dei, effecta *absoluti decreti* volunt Calv. quod nos totis viribus impugnamus. Ergo.

X L.

An non sit gravis primus dissensus? Nunc II. nos confitemur, Deum neminem odisse, nisi propter peccata, quia *dilexit mundum Job. 3. 16. & vult omnes salvos fieri. 1. Tim: 2. 4.* Odit vero omnes, qui operantur iniquitatem *Psal: 5. 7.* Inde peccata dividunt inter nos & Deum *Esa: 59. 2* perdidit te (peccatum, sive dicas vitulum cum Witzelio, sive Regem cum Tremel; & Piscatore, sive confidentiam & Dei oblivionem, res eodem recidit) *Israel ex me salus Ose: 13. 9.* Hinc reprobatio tanquam odij effectus incredulitatem causam habet. Contra Calvin. ex absoluto decreto, non propter peccata maximam partem hominum a salute speq; salutis reiecisse Deum disputant. Nam *infidelitas non est causa reprobationis Pala: pag. 514. Non impaenitentia, sed sola et doxia est causa, cur quibusdam gratiose electis reliquos praterierit Has: p. 535.* ita omnes communiter.

X L I.

Qua conclusione quid magis blasphemum in Dei bonitatem concludi posset? de qua tamen omnibus recte sentiendum esse recte sentit *Zanch: tom: 4. p. 254.* Emollire quidem hoc student facto discrimine inter decretum Reprobationis & Damnationis, quod reprobare nihil sit, nisi non eligere, sive velle non misereri, cujus causa sit sola Dei voluntas, sicut propositi damnandi incredulitas vide *Britan. p. 501. Hass: p. 535.* Sed (1.) res eodem recidit, cum nec  
sic

sic scripturæ convenienter bonitatem Dei explicent. (2.) Non ignorant. Zanch. de Natu: Dei tom. 2. ope. p. 547. prævisa peccata non fuisse causam, cur quosdam ad æternam mortem destinaret, docere cum plurimis alijs sexagenarijs hac distinctione de ponte deturbatis. (3.) quod idem sequi ex hac distinctione ingenuè confitetur *Molin. Anat. Arm:* post habitam Synod: Dordr: repetita inquit *cap. 13. §. 16. Non effugeret, qui diceret reprobatione non destinari homines ad damnationem, sed tantum præteriri aut non eligi. Nempe sic queruntur molliora verba, quibus eadem res dicatur. Perinde enim est sive Deus destinet hominem ad damnationem, sive id faciat, ex quo damnatio necessario sequatur.* (4.) Ad idem etiam asserendum Calvinianos cogi per Principia Dordrechtana quibus à decreto non electionis peccata excluderunt, planè existimo. Nam I. Nihil quod ab homine perpetratur in tempore, causa seu conditio sine qua non, esse potest actionis Dei æternæ, quia impossibile est causam esse posteriorem suo effectu: id verò quod ab homine fit in tempore, posterius est eo, quod à Deo factum fuit ab æterno. Ita docent *Hassii* exclusuri prævisa peccata à reprobatione *pag. 524.* Sed peccata perpetrantur ab homine in tempore, & decretum damnandi fuit ab æterno. Ergo 2. Immo majorem formalibus verbis ita ponunt *Embd: Æternæ voluntatis Dei causa non est peccatum pag. 597.* Subsumo, decretum damnationis est æterna Dei voluntas. E. 3. Omnia efficit ex consilio voluntatis suæ Eph. 1. 11. Ergo quod decrevit damnare Deus homines hujus causa non est peccatum. Tam firmiter hoc sequitur, quam benè illud *Nort Holland.* peccata non esse causam reprobationis *pag. 87.* 4. Si infidelitas est causa decreti (Calv. non-electionis, ego) damnationis, tum omnibus hominibus damnatio fuisset discernenda, quia omnes homines naturâ sunt infideles, & peccatores, & non possunt seipso à damnatione convertere, solius autem gratiæ est, quod ad vitam æternam perducantur, vide *Britan. pag. 505. Hassos. pag. 536. Northoll. pag. 87.* 5. Imo Deus non damnat in tempore propter peccata. Qui non debet vivere Christo non damnatur ob id, quod non vixerit Christo. An judex universæ terræ damnabit quemquam, ideò quia non fecit id, quod non debebat facere? *Nulli reprobi debent vivere Christo Geldri. pag. 169.* Ergo repro-

reprobi non damnantur ob id, quod non vixerint Christo, quod ipsum etiam expressè fatetur, inquit, *Hos servat Deus, quia ita vult. Hos vero damnat similiter, quia ei ita placet. Renne, aur. Cath ut & Gryn. in tab. Szeged.*

XLII.

Sed ut ad rem redeamus, positum jam sit, ita dissentire nos de reprobatione. Non possumus ergo non disputare III. de Dei veritate, quam Calv. tollunt. Etenim cum asserant, *tempus nunquam fuisse vel esse, vel fore, quo voluerit, velit aut voliturus sit Deus singulorum misereri.* Beza par. 2 Resp: ad Coll Mompel: *Toto cælo errare, & magnum peccatum admittere, qui sibi imaginantur, Deum omnium misereri, & singulos salvare velle* Renn: de prad. *Deum absolute velle, reprobos non servari* Zanch: tom 7. par. 2. p. 388. & tamen Deus juramento confirmet, *quod nolit mortem impij* Ezech: 33. 11. *etiam morientis* c. 18. 33. & 23. apertisq; verbis testetur, *quod omnes concluderit sub peccatum, ut omnium misereretur.* Rom. 11. 32. *non velit ullos perire, sed omnes ad penitentiam reverti* 2. Pet. 3. 9. Unde in negotio salutis duæ voluntates, alia occulta, alia revelata sequuntur, quomodo non Deum perjurij & Hypocriseos blasphemè arguant, Theologi nostrates se hucusq; nondum videre potuisse, ingenuè fatentur.

XLIII.

Absurditas ista Calviniana autem cum vel ipso sono horrenda sit, ideò nonnulli in synodo Dordrecht. cum Pareo super c. 2. Rom: dub. 4. videntur concedere, Deum serio velle, ut omnes homines, etiam reprobi serventur. *Deus vocando reprobos vult eorum conversionem & salutem serio.* Wett p 708. *Est communis quædam Dei Philanthropia qua dilexit totum genus humanum lapsum, & serio omnium salutem voluit* Mart: p. 639. Ne tamen omnino prodere videantur causam suam, ideò distinguunt inter *voluntatem approbationis & effectionis*, quod Deus quidem velit, ut omnes convertantur, approbet omnium conversionem, sicut pateat id, ex talibus dictis, sed interim non velit ipsos convertere, quod ipsa reprobatione decretum sit, si modo satis rectè assequor mentem. Wett. p. 708. Lubber. p 18 & 25.

XLIV.

Verum enimverò I. meritò mihi suspectus est terminus approbantis voluntatis. Video enim pro synonymis haberi voluntatem approbativam & revelatam, & signi, qua aliquid damnet, puniat, & prohibeat Deus, quod tamen velit voluntate beneplaciti à Buca. Loc.

D

pag.

p. 145. Vice versè ergo, quod vult voluntate approbatiua, hoc non vult voluntate arcanà. Si ergò hac distinctione non tolletur dubiù de Hypocrisi, quin ut maximè statuerent, (2.) Deum seriò probare omnium salutem, non tamen ita satisfactum erit promissionibus Dei, *velle ut omnes salventur*. Velle verò, approbationem cum desiderio conjunctam significat, non nudam simplicem approbationem, cum nullum locum attulerint *Dordr.* ubi ista significatio obtineat, & ut afferre possent, nondum demonstrarint, & in his dictis id denotari. Quo minus autem credam, Calvinianos credere nobiscum, quod Deus cupiat (licet non voluntate absolutà, sed conditionatà) ut omnes convettantur, ac salventur, prohibeor (3.) autoritate *Embd.* qui expressè scribunt, *Deum non velle seriò, ut omnes salvi fiant p. 595. & Drentan.* improbantium: *Corv. contra Tilen. p. 121.* vocem; Deum præcisà voluntate neminem in Adæ lapsu voluisse relinquere p. 143. Imò (4.) *Gron. & Omlan.* *Voluntas illa generalis omniù salutē conversionemq; desiderans & intendens, commentum est cerebri humani. ac Deum in impotentem hominem transformat p. 140. & omnipotentiam Dei evertere creaturamq; Deo potentiorē efficere dicitur Embd. p. 595.* Quomodo etiam (5.) non tollitur hoc ipsum per facta & receptissima in Syn. *Dord.* fundamenta? *Quodcunq; vult Deus fieri, hoc etiam vult facere Embd. p. 595. Quibus intendit finem, his dat media. Gronin. 231. Quicquid non fit, nunquam fuit in intentione Dei ut fieret Drent. 242. Quoscunq; vocat ad salutem, his vult communicare salutem Gel. 262.* Subsumam statim: *At Deus non vult omnibus hominibus conferre salutem Lub. p. 18. non subministraret omnibus hominibus necessaria & sufficientia media ad salutem. id. p. 24. Omnium conversio non sequitur. Non omnes vocat ad salutem Pal: p. 512. Ergo.* Quæ omnia quanquam non essent, tamen (6.) ne sic quidem vim objectionis effugient, extantibus promissis, quibus Deus promisit, se, modo non resistent, si ve voluntate antecedente velle omnes convertere. *Venit enim filius hominis SERVARE, quod perierat, Matt. 18. 11. In vineâ labruscas ferente & exscindendâ quid non fecit cœlestis vinitor, quod faciundum erat? Esai. 5. v. 2. 3. 4 Matt. 21. 37.* Hierosolymitanos filios congregare voluit, velut Gallina pullos suos is, qui misit Prophetas v. 34. quem audire noluerunt resistentes prophetis ibid: qui missus est ut faceret voluntatem non suam, sed ejus, qui ipsum misit Joh. 4. 34. Annon ergo & sic Deus cum apertè dicat, se voluntate antecedente velle omnes

con-

Convertere, & tamen fingatur absoluto decreto omnes causas prægresso non velle omnes convertere in Hypocritam transformabitur?

XLV.

Ut non mirum sit, quod IV. meritum Christi in eadem scholâ tam fœdè deformatur, & negata universali dilectione impugnetur universalis redemptio. Hæc quanquam aperta sit ex Scripturis, siquidem ex dilectione mundi sub se continentis credulos & incredulos, v. 18. Deus filium suum dederit, Joh. 3. 16. *Christus non tantum pro nostris, sed peccatis totius mundi mortuus sit.* 1. Joh: 2. 2. *pro omnibus* 2. Car. 5, 8. *qui per contumaciam Adami peccatores constituti fuerant* Rom. 5. 18. & 19. *non excepto eo, qui filium Dei conculcat & sanguinem fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanat, Spiritum gratiæ contumeliâ afficiens.* Hebr: 10. 26. seq: c. 6. 4. seqq: *adeoq; Dominum abnegat, & sibi ipsi celerem interitum accersit* 2. Pet: 2. 1. apud Calvin. *tamen, Voluntas & intentio Patris est impetratio vitæ æternæ electis.* Wett. 629. Gen: 635. *His præ illis mediatorem gratificantis* Hasi 619 Embd: 593. Gel: 166 & *ex speciali electis propriâ dilectione filium dantis* Pal: 610. *Intentio Filii mortem subeuntis fuit, ut eosdem electos, nō alios servaret* North: 184. *pro iis solis mortuus est* Embd. 658. Quapropter vox (omnes) in talibus locis notat gentes pariter & Judæos, aut varia hominum genera, aut omnes & singulos fideles. *Ultr. p. 213. Confer Pal: p. 611. Gen: 635. Geld. 161. Nord Holl: p 182. Non enim ita impetravit omnibus hominibus peccatorum remissionem, ut pereuntium etiam peccata morte suâ luerit* Helw. 626.

XLVI.

Sic illi, cum Scapham Scapham nominant, aliâs oblectantes se cavillo obsoletæ distinctiunculæ à Piscar: rejectæ, à Bezâ tergiversationis loco habitæ inter λύτρησ sufficientiam & efficaciam, qua totis, ut ajunt, castris dissidentes conciliare nititur *Pare. Iren: cap. 24, p 142.* labore vano & irrito, cum hac distinctione Calvinianè explicata nihilominus non dicatur id, quod nos dicimus. Nam *Prof. Belg: Jud. de secundo Rem. art. p. 155. n. 1.* fatentur, *Meritum Christi sufficere ad omnes Adami posteros, quamvis multo plures essent servandos, modo id vera fide amplecterentur n. 2.* fuisse Dei Patris filium tradentis intentionem, ut tale ac tantum λύτρησ persolveret; statim tamen disputant *pag. 157 n 4.* non ita pro reprobis esse Christum mortuum, ut eos à reatu mortis liberaverit, *p 159.* Christum propriè & ex amore summo ac cum proposito certo salvandi pro solis electis mortuum esse ibiq; rejiciunt,

D 2

quod

quod *Christus ex aequo omnibus hominibus salutem impetraverit*. Sensus ergo phraseos hic est, quod meritum Christi tantæ sit dignitatis, ut potuerit satisfacere pro omnium peccatis. Si verò quæras de facto, audies, illud *Dogma, quod Christus satisfecerit pro omnium peccatis, esse falsum, justitiæ divinæ contrarium & consolationi noxium*. Gel. p. 161. Tribuendi erant hi tituli dogmati proprio, quod sicuti falsum, & in meritum Christi injurium esse liquet, ita non minus summè periculosum.

XLVII.

Cum enim semper propositiones particulares dentur, unde cognosces ad te meritum Christi pertinere, aut in gratia Dei esse? Confugiunt ibi ad effectus proprios electionis, fidem nempe & pacem conscientiæ Brit. p. 498. Hass 533. Wett. 550. Geld: p. 43. Sed & reprobi quidam voluntatem Dei & viam salutis agnoscunt, adeo quidem ut doleant de peccatis, cum gaudio excipiant sermonem, credant, illuminentur, gustent donum cælestis, virtutes futuri seculi, participes fiant Spir. S. Wett. 709 Brit. 673. Fides tamen omniq; hæc sequentia fidem, specie differunt à fide Electorum Wett p 712. Zuitbolla. p. 370. unde jam cognosces te habere specificam fidem Electorum, cum quisq; suæ sibi imbecillitatis sit optimè omnium conscius? Quis tibi promittet, etiamsi sentias in te odium peccati, timorem pœnæ, spem veniæ, tandem te non à Deo desertum iri, facile causam reperturo, dum nunquam non omittitur aliquid, quod debebat fieri, aut fit, quod debebat omitti, cur tibi gratiam oblatam subtrahat? Vide Brita. ita de suo dogmate disserentes p. 675. & 676. præcipue quid fiet in tentationum nimbis, ubi putas te excisum esse à conspectu oculorum Domini? Philosophantur quidem Brita: quod quia regegnus tentationis tempore sit in statu contra naturam, ibi spiritus facile ad ingenium redeat p. 781. Verum non habet se homo tanquam agens naturâ, sed cum nec inmediate confirmetur, fundamentum ipsi ex scriptura suppeditetur necesse est, ut possit benè sperare de merito Christi ad se pertinente. Tale tentatus nullum habet, qui ne quidem statuere potest, se teneri in Christum credere tanquam pro se crucifixum; Ostendo. Quicumq; certò statuet, se teneri in Christum credere tanquam pro se crucifixum, is prius certò scire debet, Christum pro se esse mortuum. Nullus tentatus scire potest Christum pro se esse mortuum, quia actu non credit. E. proinde tunc ad promissiones & Baptismum & cœnam decurrendum censet Conf. Helv. post. c. 10. sed jamdiu est, quod hæc apud Calv. universalitatem suam amiserunt.

Luvet

XLVIII.

Lubet hic disquirere, Annon Dordr: etiam impugnentur quod asserere nituntur: & asserant quod impugnare nituntur? Docent sanè omnes electos per meritum Christi in gratiam restitutos, ad reprobos verò fructum meriti Christi non pertinere. Contra (1.) Quicumq; non credunt, ijs non impetravit Christus restitutionem in statum gratiæ *Brit. p. 608.* Quidam electi non credunt, intelligo infantes. Ergo (2.) Si omnibus electis Christi mors impetravit restitutionem, tum restituti sunt vel cum ab aeterno est destinatus in mortem, quod falsum, quia sic nemo nasceretur filius iræ, vel in primorum parentum persona, quod itidem falsum, quia *gratia salutis est beneficium personale Hass. p. 614.* vel cum Christus ipse in cruce mortem oppeteret, quod non magis verum, quia sic nemo ante illud momentum esset restitutus. Nescio annon ex his principijs tam benè deducam meum, quam bene inde concludunt suum, *per Christum non esse omnes homines restitutos Brit: p. 608.* (3.) si media ad fidem necessaria & sufficientia reprobis propter meritum Christi administrantur, tum efficacia est universalis *Pal: 614. Conf. Wett. p. 709. & Embd. p. 732.* Sed prius est. *Christus morte suâ impetravit à patre, ut ubicunq; annunciatū fuerit Evangelium, ea gratiæ supernaturalis mensura administraretur, quæ sufficiat ad convincendum incredulos contemptus vel salutem neglectus ob non impletam conditionem Brit. p. 603.* Ergo & posterius erit.

XLIX.

Pergamus jam ostendere diversitatem sententiarum nostrarum; Dordr: semper in primam aciem inferunt hoc argumentū, ad quod tanquam Medusæ caput cuncti lapidescant. Si Christus pro omnibus mortuus est omnes vocabit. At non omnes vocat *E. lia; Geld. 162. Ultra. p. 199. Zel. 191. Brit.* dicunt *de facto Deus Evangelij præconium omnibus & singulis annunciare nunquam dignatus est p. 605.* imò, *nec intendit omnes & singulos verbo & spiritu suo vocare Ultr: p. 200.* Hinc peccata non sunt causa, quod Deus prædicationis Evangelij gratia nonnullos prætereat *Pal: p. 515. Sed mera Dei voluntas Brit: 502.* Emergeit hinc V. sententiarum pugna, siquidem his omnibus nostri contradicunt, credentes Deum velle, ut omnibus annuncietur Evangelium, sicut & ter annunciatū est, peccatisq; & ingratitude hominū adscribentes, quod non ubiq; semper annuncietur, sicut in exēplo Judæorū evidens *Act. 13. 47.* L.

Sed & VI. de reproborum vocatione non convenimus, scriptura

nos docente, quod Evangelium annuncietur in toto mundo, id esse  
divinae gratiae, in hunc finem praedicari procurantis, ut omnes voca-  
ti resipiscant, & vitam aeternam habeant 1. Thes. 5. 9. Joh: 20. 31. un-  
de negligentes sermonem, negligere dicuntur salutem Hebr. 2. 3.  
Candidus Calvinianus haec negat. Spiritus praedicatione verbo assistit  
semper, sed non horsum, ut in omnibus operetur posse, velle & perficere  
Geld: p. 263. aut velit operari, quia, quod vult operari, hoc etiam ef-  
ficat ibid: nam non vocantur omnes ad salutem ib: p. 162. Ad quid ergo,  
si non ad salutem? responderetur ibidem: ad agnitionem veritatis, fidei  
& resipiscentiam, absurdè, cum ea ipsa immediatè consequatur salus.  
Quorsum ergo annuncietur Christus ipsis (reprobis, verba sunt Franc.  
Donteklok ad script: anon: referente Corv: in Ench: Anat. Arm Molin.)  
nisi ut hoc pacto ipsorum condemnatio gravior reddatur? &c. Sequitur  
ergo, Christum ipsis praedicari ad aggravandam ipsorum damnationem,  
idq; sibi propositum habet Deus, cum reprobis Christum annuntiare curat.  
Thysius. Absurdum videri non debet, Deum reprobis quibusdam, qui in  
Ecclesia vocantur, gratiam suam sive per verbum, sive sacramenta offer-  
re non in eum finem, ut per eam serventur, sed contra, ut minus habeant  
excusationis, quam reliqui & tandem gravius puniantur in Corp Doctr:  
p. 25. Quam longè his absunt Brit: Vocatio reproborum eo T A N-  
TUM sine exhibetur, ut reddat in excusabiles? Syn. p. 674.

L I,

Quod si ita est, dicendum Calvin. manebit vera propositio Piscar.  
Deus lingua testatur per ministros, se teprobos velle credere, quia id eis  
mandat, & tamen eos non vult credere, contra Schaf: th. 121. Si verò  
non omnes, quos sui verbi spiritusq; dono dignatur Deus, ad conversio-  
nem serio invitatur, certè Deus nonnullos filii sui nomine fallat, & nuntij  
à vocatis falso perhibiti testimonij accusari possunt Brit: p. 674.

L II,

Quid igitur supererat aliud, quam ut V I I. dicerent, in absoluta  
Dei voluntate causam esse, non in peccatis quaerendam, cur repro-  
bis fides non detur Palat. 514. Hass: 534. tam apertè contra omnem  
veritatem, ut nullum locum adducere aut verbum de magnitudine  
tanti dissensus facere necessarium ducam.

L III.

Progrediarq; statim ad vocatorem fidelium. Petere ibi licet con-  
sensum de Evangelio praedicatione, quod per auditum & meditatione  
repeti-



repetitum verbum convertamur Rom: 10.17. Joh. 17.20. Matt. 10.20.  
potiri eo non licet, dum IIX. verbo regenerationem denegant. *Noti*  
*omnes, qui vocantur, a Deo vocantur, sed loquutione, id est, externâ ho-*  
*minis prædicatione, virtute autem, id est, internâ spiritus operatione soli*  
*electi, aiunt, Geld. p. 40.* Nempe distinguunt inter prædicationem ex-  
ternam & internam, quæ actu sunt separatae in reprobis *Zuidt Holl.*  
*p. 268.* aliâs ita distinctæ, ut ad externam, quâcunq; etiam mensurâ da-  
tam ib: necesse sit in conversione accedere Spiritus S. operationem  
ab ipsa verbi operatione distinctam *Ultra. p. 293.*

LIV.

*Brita,* distinguunt inter actus præcedentes Regenerationem & Regenerationem  
ipsam, sive actum quo posito statim dico, hic homo est renatus ex Deo. Priores  
peragi dicunt *per spiritum organo divini verbi utentem p. 677,* Posterior num itidem,  
non exprimunt, nec id sentire eos puto, quia *p. 677.* aperte dicunt: *Non esse in po-*  
*testate voluntatis humane impedire Deum, sic IMMEDIATE regenerantem, & quod*  
*tendit ad regenerationem, non regenerat Trans: p. 107. Prædicatio verbi tendit ad*  
*regenerationem Brit. 673. E.*

L V.

Hinc ita argumentamur, qui de medio conversionis inter se disputant, dissi-  
dent in fundamentali articulo. Lutherani & Calvin: id faciunt. E.

LVI.

Deniq; in Disputatione de perseverantia sanctorum duo nos dicimus (1.) Fide-  
les quosdam totaliter & finaliter excidere posse & sæpe excidere 1. Tim. 1. 20. (2.)  
Electos, etsi non finaliter excidant (sic enim non essent electi) totaliter tamen sæ-  
pe excidere, quod ex lapsibus Davidis & Petri manifestum, unde apparet statum  
malè esse formatum à *Palat. p. 793.* Calviniani negant, fideles posse finaliter exci-  
dere, quia reprobos nunquam fidem habuisse volunt; electos vero nunquam pe-  
nitentia excidere asserunt *VVett. 865* nunquam totaliter à gratiâ Christi deficere pos-  
se *p. 819.* non excidere reconciliatione, non amittere Spiritum S. etiamsi peccata  
contra conscientiam admittant *Palat. 793.* Imò in eo omnes consentiunt, dissen-  
sientes tamen de *Fidei actu, non habitu,* an ille etiam permaneat *Geld.* negantibus  
*p. 360 Drent. affirmantibus p. 427.*

LVII.

Dogma hoc Calv. & fidem extenuat & securitatem confirmat. prius ostendo.  
David in adulterio vivens nō potest ingredi cœlos. *Brit. 771.* David in adulterio vi-  
vens habet fidem *Britt. 772.* Per quam ex Deo nascimur per quam adoptamur  
& Christo inferimur per quam justificamur. *Brita. pag. 773.* Ergo aliquis ha-  
bens fidem, per quam renascimur per quam adoptamur, &c. non potest ingredi  
regnum cœlorum. Posterius liquet: Qui scit absolutè ad fidem & bona opera se ita  
esse prædestinatum, ut non possit non credere, & Deo obœdire, & in fide perseve-  
rare, ille persuasus est sibi curam esse minimè necessariam: quæ tum demum obri-  
met, ubi quis persuasus, neglectum sibi noxium esse. Addantur his cœtera Emblemata:  
*Non posse hominem ullo peccato actus divinos rescindere Brit. 785. Non esse ad sa-*

lut. 179

lutem necessarium, hoc & tale peccatum emitte. ib. p. 681. Exemptum verato esse cor lapideum, ut non possis dissentire Transsul. 318. Nec possit mori 317 Voluntatem Dei de merito Christi applicando non conditionatam esse Embd. p. 663 Gron: p. 233 & quæ major cura esse poterit de perseveratione tenato, quam ullo angelo?

L I X.

Nec tamen hic, postquam semel articulum de Prædestinatione infecit Zvvin-  
giana labes, subsistit, sed & proximos articulos frædat, adeoq; IV. ipsum Baptismum  
contaminat. Negant n. Deum omnes etiam non resistentes in Baptismo regenera-  
re. Non electis nunquam Sp. S. dabitur, etiam si millies aqua baptizentur Beza Coll.  
Momp. 385. & Baptismum multa millia infantum accipiunt, qui tamen nunquam  
regenerantur ib. p. 393. unde Zanch. sub hac conditione, si electus sit, baptizandum  
quemcumq; consuluit, non abluentibus Ministris Argent. an. 1539. in 18 artic. Conf.  
cum tamen nos de omnibus infantibus verum existimamus illud Pauli: Quicumq;  
vestrum baptizati, sunt induerunt Christum Gal: 3. 27. & in mortem ejus baptizati  
sunt Rom: 6. 3.

L I X.

Negant II. quod nos affirmamus, aquâ Baptismi ex institutione divinâ quâ ad  
hunc usum sanctificata est, homines regenerari ex Tit. 3. 5. Eph. 5. 26. 1. Pet. 3. 2.  
Nam non sibi invicem subordinantur, aqua & spiritus Beza Resp. 2. ad coll. Momp.  
p. 114. Causa est quia verbo Dei & sacramentis extra significationis usum nihil tri-  
buendum p. 117. Hinc duos nobis baptismos specie, subjecto efficaciam distinctos  
enixus est Beza Coll. Momp. Imò & tempore. Nam III. Ne quidem Spiritum S. in  
baptismo multos vel electos regenerare præfractè disputant, ostendo. Si Sp: S. in  
baptismo regeneraret, in baptismo daret electis fidem, quia nulli & nunquam ob-  
tigit regeneratio, nisi per fidem Job 1. 22. Rom 3. 22. Sed in Baptismo non datur  
electis fides. In infantes nullo modo fides cadit communis hæc Calvinianorum vox  
est. Ergo.


L X.


Causa horum est paradoxon I V. quo fidelium liberis, antequam in lucem  
edantur aut baptizentur, sanctitatem specialem fæderi Dei nos ascribentem tri-  
buunt, siquidem non ideo baptizantur fidelium liberi, ut filij Dei tunc primum fiant,  
qui ante alieni fuerint ab Ecclesia Calvin lib. 4. Inst. c. 15. sect. ult. Sed nascuntur in  
Ecclesia, ut per Baptismum veluti signum fæderis certiores reddantur de sui in Eccle-  
siam insitione Ludo. Crocius disput. 9. Apol. thesi 53. & 54. Ut in hac sanctitate con-  
solationem quarant parentum timentium liberis ante perceptum Baptismum decedē-  
tibus ib: ut in casu necessitatis nō sit necessarius Gynæco Baptismus Beza coll. Momp.  
p. 357. aut etiam Baptismus à Lutheranis ministro conferendus. Quia obsecro emolu-  
menti vel spiritualis ædificationis tandem habetur in Baptismo à Lutheranis petito?  
profecto infantes vestri de salute non periclitantur, si absq; baptismo intereant. Pet.  
Martyr. tom. 3. p. 155:


L X I.

Hæc & similia plura falsa dogmata causæ sunt, cur hæctenus in fundamento  
fidei Lutheranos & Calvinianos non consentite judicatum sit: Quæ omnia ut tan-  
dem aliquando abijciant, veritati locum inquant, & sic laceris Ecclesijs pacem  
restituant, orandus est is, cui uni debetur Honor, Laus & Gloria.

F I N I S.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



M. A.  
 heologica,  
 ens  
 ANOS  
 ANOS  
 ENTALIBUS  
 erisque non  
 :  
 stochiensis  
 E  
 llentissimo Viro,  
 ARNOVIO  
 Professore,  
 a proponit  
 S KLEIN  
 chicus.  
 inis in Auditorio  
 S  
 H I  
 ANI, Acad. Typog.  
 XXIII.

